

tantâ luce, nisi forte quia nimia est. Nimirum ut nobis constet, imputationem peccati cœpisse à transgressione legis Adamo datae, non autem à lege data Mōsi. Cœpisse ab Adamo, desissere in Christo. Nulla enim hic antithesis inter Mōsem & Christum. Typum, sive antitypum Christi unicum, constituit hoc capite Adamum D. Paulus.

CAPUT II.

De lege Dei data Adamo. Item de variis legibus humanis & divinis, quæ fuerunt ante legem Dei datam Mōsi.

LEX DEI data Adamo illa fuit, cuius transgressio, ut prædixi, Adamum, & in illo omnes homines fecit hostes Deo: quæ armavit Angelum ense fulmineo, ut illum, & in illo omnes homines Paradiso detruaderet. Lex Dei illa fuit, quæ Adamum, & in illo omnes homines effecit peccatores, reos, contumaces: per quam peccatum intravit in mundum: per quam omnes homines peccaverunt: per quam mors pervasit in omnes homines. Et de illâ lege intelligenda sunt verba hæc Apostoli: Usque ad legem peccatum erat in mundo. Quippe quæ lex Adami, vel data Adamo, princeps fuit legum omnium. Quæ lex legum, & per excellentiam LEX simpliciter dici debuit.

Reliquæ leges sua nomina sortitæ sunt. Lex enim naturæ illa est, quæ dicitur recta ratio: unde leges gentium ortæ sunt: à quibus itidem fluxerunt leges civiles, quæ secundum varios Legumlatores varia sibi induerunt nomina. Tales olim fuerunt, vel duriores Licurgi leges, vel molliores Solonis constitutiones, vel quæ tulere strictiora jura Decemviri, vel quæ edixere remissiora Prætores.

Imo & leges Dei varias indictas fuisse Iudæis, longe ante